

2423.

Q· D· B· V
NVM

FOEMINAE
OB PERVERSITATEM
IVRIS FAVOREM QVEM HABENT
NON MEREANTVR


BREVITER DISQVIRIT

SCHOLASQVE IVRIS APERIVNDAS

I N D I C I T

IO· CHRISTIANVS HEDLERVS

I· V· D



VITEMBERGAE
TYPIS IO· FRIDER· SCHLOMACHI
MDCCXLIV



Dissertatio nuper habita fuit, cui annexum est Corollarium, foeminas ob perueritatem, qua anteeunt uiros, quod ex Eccles. VII, 29.
et i Tim. II, 14. demonstrari posse judicat Auctor, fauorem juris, quem habent, non mereri. Quo breuius haec dicta, hoc magis aculeata sunt, ut foeminarum animos fodicare omnino ac sanctificare possint. Sed miror, cur huic suae sententiae nihil fidei, nihil auctoritatis, nihil rationis et firmamenti adjungat, sed, aculeo infixo, quasi fugiat Auctor grauissimus, uerborum alias pensitator subtilissimus. Nolo εξαναγγείλειν, quibus inductus in ra-

tionibus sic statuere decreuerit, quin imo uariis eum causis, etsi insufficientibus, permotum fuisse, ut adeo generaliter pronunciaret, facile credo. Venerunt forsitan in mentem uariae distraetaeque de foeminis uariorum opiniones injustae aequae ac justae. Non erubuit PACUVIVS afferere, minime facile foeminam inueniri bonam. IVVENALI, Satyricorum Triumuiro, foemina, si qua detur bona, dicitur rara auis in terris, nigroque simillima cygno. Mira res est, quod non diffiteor, notabilisque, foeminas apud EVRIPIDEM de se ipsas canere: Mulieres sumus ad bona confilia ineptissimae, malorum autem omnium artifices sapientissimae. IVVENALIS, uti noxios Satyrico aceto perfundit omnes, ita in *Satyrā VI.* uehementius, acriter satis, sed non prorsus immerito, in mulierum libidines, superbiam, superciliosum in maritos imperium, crudelitatem, temulentiam, superstitionem denique et ueneficia inuehitur. Dubium non est, quin sexcentis exemplis suam probare sententiam possit. Nec dubium est, quin JVVENALIS per libidines mulierum intel-

intellexerit earundem lasciuiam, incontinentiam, uenerream cupiditatem, immoderatumque coeundi appetitum et luxuriam, siquidem et libido dicitur temeraria omnis et inconsulta quidlibet agendi uoluntas aut cupiditas, quae in foeminas quam saepissime cadit. Eo nituntur omni studio, ut sibi deuinctos habeant omnes, ut ab omnibus maximi aestimentur, reuerentiaque praestetur, ut suo ex nutu ac uoluntate omnia instituantur. Antonium ita uicerat Cleopatra, sua quidem luxuria et libidine, siquidem ejus forma ipsa per se non nimium traditur efficax ad mentes adspicientium capiendas, PLV.

T A R C H. in Vita M. Anton. ut fascinatus et attonitus, belli et spei suae oblitus, nihil, quam Cleopatram, cogitaret, loqueretur, somniaret, ut Cleopatrae nutu praelium committeret, Cleopatrae ductu fugam adoraret, Cleopatrae arbitrio exitium sibi consiceret, quae quidem ipsa, cum Antonio ab Augusto simul uicta, ubi Victoris oculos, ad pedes prouoluta, frustra tentauerat, quia pulchritudo Cleopatrae infra pudicitiam Augusti erat, incautiorem naeta custodiam in Mausoleum se recepit, ibique juxta suum se collocauit An-

tonium, admotis ad uenas serpentibus, sic morte, quasi somno, demum soluta. Ne tibi regali placeas Cleopatra sepulero, Vipera si tumulo nobiliore jacet. MARTIALIS, *Lib. IV. Ep. LIX.* Principium dulce est, at finis amoris amarus; laeta uenire Venus, tristis abire solet. Animo per libidinem corrupto ut nihil castum inest, TACITVS *Annal. II. 37.* s. ita, si formosissima facies accesserit, quae mutua commendatio est, et quam florem uocis dixit ZENO, silentem fraudem THEOPHRASTVS, rem quauis epistola efficaciorum ARISTOTELES, captant interdum superbiam, quia norunt Venerem suam, uenduntque amplexus, aut commodant, ut habet PETRONIVS. Aliac propter hanc uenustatem tam sunt libidinosae, tam ambitiones, ut, licet ex conditione ciuili, et plebeja, per matrimonium traductae sint in ordinem literatorum, et studiis doctrinisque deditorum, et quam amplissima dignitate sint, minime tamen contentae uiuant, nisi generoso semine rigentur. Sed fastus inest generi, sequiturque superbia formam, grande supercilium gerit. Nequiui hercle me risu admoderarier, cum nuper

narraret

narraret fartner, postulasse ab ipso uxorem cuiusdam: Er sollte ihr doch die Strümpfe Französisch besohlen. Longe discedat superbia, uitium rebus commune secundis, virtutumque ingrata comes, CLAVDIAN. *de laud. Stilicon. Lib. II. u. 160.* Heetiba demum apud Seneeam de lapsu superborum ita canit: Qui-cunque regno fudit, et magna potens dominatur aula, nec leues metuit Deos, animumque rebus credulum laetis dedit, me uideat, et te, Troja. Non unquam tulit documenta Fors majora, quam fragili loco starent superbi. Praeterea si diuitem respexeris, intollerabilius nihil est, quam foemina diues, JUVENAL. *Satyr. VI. u. 457.* Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil, cum uirides gemmas collo circumdedit. Clamitat, satis est diuinarum, plus mihi auri mille est modiorum Philippei, et, praeter thesaurum hunc, argenti montes, non massas, habeo, Aetna non aequa alta est. PLAVT. *in Mil. Gloriof. Act. IV. Sc. II.* Aliae student auaritiae, eamque ob causam uariis aliis uitiis indulgent. Nullum enim est officium sanctum, atque solemne, quod non auaritia comminuere ac uiolare soleat.

soleat. Brennus, Galliae Rex, cum, uastando Asiam, Ephesum peruenisset, plebeja quaedam uirgo, nomine Daemonice, amore Barbari capta, prodere se, uelle Ephesum promisit, si torques et monilia pro mercede darentur. Ad hanc Brennus, in certo loco suscepit, subditos duxit, et, quicquid haberent auri, in gremium auarae conjicerent, imperauit. Qui cum imperium exequenterentur, Daemonice p[ro]ae auri, in se coniecti, multitudine et grauitate uiuens est obruta. Et quis omnia foeminarum enarrabit uitia? quis modos omnes delineabit, quibus artifices malorum omnium sapientissimas esse student. Certum est, dari permultas mulieres, tam callidas, tamque astutas, ut satis earum nequeat malitia depingi. Etsi uero haec omnia, quae jam dicta sunt, Excellentissimus Dominus Auctor Corollarii, quemadmodum poterat, allegasset, tantum tamen abest, ut id sequatur, quod statuit, foeminas uidelicet uel propterea, uel propter peruersitatem, iuris fauorem, quem habent, non mereri, ut potius, quod cum uenia ac pace Excellentissimi Domini Auctoris dictum sit, foeminis, propter quarundam peruersita-

uersitatem fauorem juris, quem habent, non abnega-
dum esse, firmiter statuam. Quicquid semel juris est
constituti, id Priuatorum nec auctoritate, nec opinione,
sed lege publica contraria, legislatoriaque potestate
mutari fas est. Foeminas multas peruersitate viros an-
teire posse, nemo dubitat. Saepius de integrae fami-
liae foeminis fere pluribus uerba Euripidis dici pos-
sunt: Mulieres sunt ad bona consilia ineptissimae,
malorum autem omnium artifices sapientissimae: Der-
gleichen Völken taugt zum guten Rath nicht, zur
List, und Ränken, ist es treslich abgericht.

Satis est notum, quod Margaretha, Catharina, Sibylla,
quando conueniunt, garrire incipient, et ab hoc, et ab
bac, et ab illa. Eunomia apud PLAVTVM Aulul. Act. II.
Sc. I. dicit ipsa: Multum loquaces merito omnes ha-
bemur, alia alia pejor est. Man hält uns für Wä-
scher und Klaßchen, (Serberger in der Herzpostille
am Österrage nennt solche Stadt-Plätzen) und wir
sind es auch, und ist unter uns immer eine schlim-
mer, wie die andere. O ingenuam confessionem!
o nobile judicium! At enim uero ex allegatis dictis
biblicis peruersitatem mulierum demonstrari posse, nec

B

credo,

credo, nec, quod Theologorum est, perquirere uolo, ne
ἀλλοτριοεπισημοτίας reus siam. Interim non sequitur,
haec, uel illa, est peruersa, ergo sunt peruersae omnes
foeminae. Nec sequitur, haec, uel illa, est peruersa,
ideoque juris fauore indigna, ergo omnes sunt per-
uersae, omnes indignae juris fauore. A particulari ad
uniuersale non ualeat consequentia. Sunt aliae cauſae,
propter quas foeminae juris fauore, quem habent, fruun-
tur. Sed me miserum! Venit hic in mentem fatum
Thrajicei Vatis. Hunc Cicones, Thraciae mulieres,
quod, post amissam Eurydicen, ipsarum spreuerat nuptias,
magno cum impetu inuaserunt, et, membra ejus dilacerantes,
de sua immanitate non prius destiterunt, quam
ipſi omnino uitam adimerent, et crudelē interitum
afferrent. Discerptum latos juuenem sparsere per agros.
VIRG. Lib. IV. Georg. u. 522. Et apud OVIDIUM *Lib. XI.*
Metam. una, En, ait, en hic est nostri contemtor.
Sed nihil quicquam timeo. Doleo, quod in aſſerendo
ſtabiliendoque juris fauore, quem habent foeminae, uitia
quaedam percensere, Auctorumque opinioneſ et uerba,
foeminis minus fauentia, adducere coactus fuerim.
Nulla irasci omnino debet, quae nequaquam ſe talem
eſſe

esse cognoscit, ne hoc ipso, quod irascitur, de coetu ipsarum esse videatur. Si qua dicta ad se rapiat, atque in se dicta putet, ea quasi sorex suo se indicio prodet, et, sibi male consicam se, hoc ipso indicabit. Vitia haec, quorum mentio fit apud Auctores, ex leuitate animi fluunt, et uel ideo majorem foeminae fauorem merentur. Leuitatis autem, et infirmitatis, in Iure incusari genus foemineum satis superque notum est, adeo, ut plerumque foeminarum aduersus propria commoda dicatur laborare consilium *L. 4. C. de Spons.* Imo mulieres etiam perfectae aetatis propter infirmitatem consilii in tutorum potestate perpetua esse Veteres uoluerunt, *CIC. pro Mur. VLP. in Fragm. tit. II. pr. §. 17. seqq. tit. 20. §. 14. SVETON. in Tiber. c. 35. SIGON. de Iur. antiqu. ciuit. Rom. Lib. I. c. 13. RITTERSHVS. ad L. XII. Tabb. p. 2. d. 2. c. 13. SVTHOLT Disp. 3. aph. 96. EVBEN. in oper. p. 28.* In foeminis maior leuitas et inconstantia praesumitur, quam in Viro, *CARPZ. P. I. C. 22. d. 18. n. 2. foeminarumque, ait IDEM, l. c. n. 2.* summa est inconstantia et mollities, et foemina ab eodem *CARPZOVIO L. 3. t. I. R. 12. n. 4.* dicitur uarium et mutabile semper animal. Quaecunque uero demum

causae fuerint constituti fauoris, minime tamen peruersitas, quae quarundam inhaeret animo, causa erit abolendi huius fauoris, uel statuendi, quod omnes foeminae juris fauore, quem habent, sint indignae. Quid enim? Habemus foeminas bonae mentis, bonique ingenii, singularis fortitudinis, aliisque praeditas uirtutibus, natas ad literas, literisque ornatas, atque instruētas. Id quidem non adeo spirat acumen flumenque ingenii, quod narratur de uxore Viri Sapientis, qui assatis perdicibus et capreolis admodum delectabatur. Vxor, ut falleret uirum, fallendoque eius appetitum sedaret, emit gallinam, eique praeſcindit pedes, alligatque pedes perdicis, maritoque, Viro Sapienti, apponit edendam, eique persuadet esse perdicem, remque astu ita tractat, ut uel centies pro perdicibus gallinas comederet Vir Sapiens, dummodo uideret pedem perdicis. Alio tempore eadem, et iterum quidem plus uice simplici, carnem ueruecinam aceto macerat, pedemque capreoli annexit, maritoque apponit, eique carnem esse persuadet ferinam. Vir Sapiens, ut gallinas pro perdicibus, ita carnem ueruecinam pro carne ferina frequentissime, *αδεως*, auideque, de gustu minime disputans, uerbis foeminae fidem habens, deuorauit, dummodo

modo pedem capreoli uideret. Sed mihi ante oculos obuersatur aliarum foeminarum dignitas, quae me ad fese rapit, et haec minora, quae nihil quicquam merentur laudis, relinquere hortatur. Dantur aliae foeminae, majoris gloriae ac laudis dignae. Qua uirtute Cloelia, custodiam elapsa, per patrium flumen equitauerit, habes apud VALERIVM, c. 2. 3.

PLIN. c. 13. PLVTARCH. c. 14. FLOR. Lib. I. c. 10. Vides igitur signum fortitudinis. Muliebre ingenium literarum etiam capax est, et culturam bonarum artium admittit foeminarum intellectus, nec aduersa est earum memoria, quin scientiarum notitia imbuatur, uid. GREEN. *Disp. de Sibyllis in Praefat.* Quis dixerit naturam maligne cum muliebribus ingeniiis egisse? Par illis, crede, uigor, par ad honesta facultas est. Habuimus Philosophas, Poëtrias. Elisabetha, Regina Angliae, Scriptores Graecos Romanosque legit, sed ita, non ut in iis occuparetur, quae sermonem elegantiorum redderent, aut uanae ostentationi inservirent, sed quae animum solida eruditione imbuerent, BAHUN *dans le Caractere de la Reine Elisabeth* fol. 4. Elisabetha, Friderici V. Electoris quondam Palatini, et electi Bohemorum Regis filia, tanta Philosophiae Cartesiana dulcedine capta est, ut uel ideo, quo liberius ei uacaret, Regis Poloniae matrimonium spre-

uiisse feratur. Olympia Fulvia Morata Ferrariensis, morum
sanctimonia, ingenio, et eruditione cum quavis prisci aevi
comparanda foemina, graece et latine scribere eleganter, et
uersus utraque lingua pangere edocta. In Academia Pata-
uina quondam Facultatis Philosophicae lauream publicam
reportauit cujusdam Procuratoris S. Marci filia, Helena Cor-
nara Piscopia. In Theologia eandem petitura erat, nisi ob-
stisset Cleri auctoritas. Indignum enim credebant, mulieri
docendi munus in ecclesia conferri, cum' sacris literis hoc
repugnet. Lauream ante aliquot annos in hac ipsa Academia
acepit Ziegleria, praestantioris foemina ingenii. De alia-
rum doctrina plura non dicam. Euoluat, cui uolupte est,
Destinata Literaria et Fragmenta Lusatrica, P. VI. p. 489. et in-
ueniet elegantissimum Carmen, quo pietatem *Serenissimo Po-*
tentissimoque Principi ac Domino, Domino Friderico Christiano,
Regio in Polonia, et Electoratus Saxonici Principi Heredi,
ex itinere reduci, declarauit foemina, D. M. L. quae est JCTi
apud Lubenenses Grauissimi, Loescheri, Parentis optimi, filia,
uirgo acrioris judicii, morumque elegantiorum. Fusa differit
de mulieribus, quae eruditione ac doctrina viros superarunt,
ANDR. TIRAQVELLVS Lib. I. de Nobilit. c. 31. Scriptis pari-
ter **FRANC. SARDONATVS** Italice *de illustribus Mulieribus.*

AVGV-

AVGVSTINVS DELLA CHIESA edidit *Theatrum Mulierum doctarum*. Recenset BAPT. FVLGOSIVS, seu Fregosius, seu Cambofulgosius, Dux Gentensis, a principatu suo dejectus, foeminas, quae doctrina excelluerunt, in *Lib. VIII. Dicitorum et Factorum Memorabilium c. 30.* Eandem operam nauarunt CASPAR BOCCATIVS, BALTH. CASTILIONAEVS, JVLIYS CAESAR CAPACCIVS, FRANCISCVS AVGVSTINVS DE GRANVILLE, AEGIDIUS MENAGIVS in *Commentariis*, seu *Historia de Mulieribus Philosophicis*, Annae Fabrae Daceriae inscripta, et Lugduni 1690. edita. Extat etiam CHRISTIANI JVNCKERI *Centuria Foeminarum eruditarum*. Idem fecit JAC. THOMASIVS, cuius extant de eruditione foeminarum aliquot dissertationes Lipsiae habitae. Non exiguae foeminarum laudes recenset ALEXANDER AB ALEXANDRO *Genial. dier. L. 4. c. 13.* Vid. CONNANI *Commentaria Juris Civilis n. 42.* Transeat igitur LIPSIUS, transeat Talmudici, qui nullam mulieri, nisi in coelo suo, sapientiam permittunt. Absit etiam, ut sentiam cum his, qui libidinosores, et magis peruersas, ex studiis foeminas sibi effingunt, quam quidem deceat, CHRISTIANI JVNCKERI *Cent. Foem. erud. Praef. §.3.* Sit sua cuique opinio. Ego, ut, quam in sententiam discesserim, scias, si per me fauor juris, quem habent foeminae, abjudicandus fuisset,

fuisset, cui quidem abjudicando impar sum, peruersitatis rationem non obuertissim, sed potius dixissim, foeminis, propterea quod iisdem, quibus viri, saepe polleant ingenii, judiciique, viribus, dum nulli paeclusa est virtus, quae omnes admittit, nec censum, nec sexum, eligit, plus fauoris, quam viris, in jure tribuendum non esse. Sed utantur suo, fruan turque juris fauore, quem habent foeminae, nihil perturbo, nihil impedio. Ne~~et~~o aliud filum scriptionis meae praesentis. Ab aliquibus Jurium Cultoribus Generosissimis pariter ac Nobilissimis rogatus sum, ut modos rationesque in foro perorandi causas ostenderem, scholasque propterea aperirem. Ego, et si uariis distrahor negotiis, huic tamē desiderio, laudabili ac honesto, deesse nolo, sed, si dabitur numerus Auditorum sufficiens, 10. GODOFR. KRAVSI, JCTI, dum uiueret, incomparabilis, Viri, cuius virtutes ac memoriam nulla unquam apud omnes bonos obscurabit obliuio, Processum Judiciarum, eumque a me in Compendium redactum, Scholisque accommodatum, celebrato Festo Johannis, exponere spondeo ac promitto. Praeterea in Compendio Juris Struviano, uel Compendio Juris Feudalis Strykiano, explicando operam studiumque paeftabo, si qui has doctrinas Juris, iis Auctoriibus praeceuntibus, sibi tradendas flagitauerint.

Dabam Vitembergae, d. xxviii. Maj. MDCCXLIV.

Wittenberg, Diss., 1744-45

ULB Halle
005 310 547

3





2425

Q· D· B· V

N V M

FOEMINAE
OB PERVERSITATEM
IVRIS FAVOREM QVEM HABENT
NON MEREANTVR

BREVITER DISQVIRIT

SCHOLASQVE IVRIS APERIVNDAS

INDICIT

IO. CHRISTIANVS HEDLERVS
I. V. D

VITEMBERGAE
TYPIS IO. FRIDER. SCHLOMACHI
MDCCXLIV